





6  
DE  
USU CATAPLASMATUM  
MACRIUM KERNDLII AD  
BUBONES SYPHILITI-  
COS CURANDOS.

---

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI  
MEDICORUM ORDINIS

IN  
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI  
UT  
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA HO-  
NORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVI. M. IUNII A. MDCCCXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

CAROL. C. AD. LEOP. RICHTER.

SAGANENSIS.

---

OPPONENTIBUS

AEM. SOMMER MED. DR.

F. BELTZ MED. CAND.

E. GROSHEIM MED. DRD.

---

BEROLINI  
FORMIS BRUESCHUCKIANIS.

Multum adhuc restat operis, multumque restabit  
nec ulli nato post mille Saecula, praeccludetur  
occasio, aliquid adhuc adiciendi.

Seneca.

V I R O

ILLUSTRISSIMO MERITISSIMO

EXPERIENTISSIMO

HR. KOHLRAUSCH

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, POTEN-  
TISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIIS  
INTIMIS MEDICIS, IN SUMMO MAGISTRATU  
RERUM SACRARUM AC MEDICARUM ET IN-  
STITUTIONIS PUBLICAE, ORDINIS CRUCIS  
FERREAE, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST.  
WLADIMIRI ET REGII HANNOVERANI GUEL-  
PHORUM EQUITI, PLURIUMQUE SOCIETATUM  
LITTERARIARUM SODALI ECT. ECT.

PIA MENTE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

---

## Prooemium.

---

Iamiam tribus abhinc annis, data in Nosocomio Caritatis Berolinensi occasione, observandi methodum haud satis hucusque cognitam, qua bubonibus medemur syphiliticis, operae pretium aliquando me facturum esse putavi, si egregium stius curandi methodi effectum uberius exposuim. Quare, cum ad fummos medicinae honores impetrandos reliquum esset ut dissertationem suo more scriberem; eam rem, quantum in me esset, perlustrare, et quae observationibus assidue institutis, edoctus sum, aliorum iudicio tradere, haud incongruum fore, persuasum mihi habui. Facili quidem negotio dissertatiunculam hanc pagellis nonnullis locupletare possem, si de morbo oso, de causis, decursu, exitu loqui atque denuo, quae iam sexcenties pertractata, cuique rei medicinae perito satis superque nota sunt, ruminare

voluissim. Quocirca illorum solummodo mentionem feci et opiniones, saepissime plane contrarias tam veterum quam recentiorum scriptorum breviter commemorandas duxi, quo hasce litterarum mearum primitias lectorum indulgentiae benevolentiaeque impensius commendari speravi.



## Pars prima.

---

Disquisitio, num suppuratio an resolutio bubonum promovenda sit.

### §. I.

Quamquam nulli fere morbo medicaminibus tam efficacibus occurrere possimus, ac syphiliticis; multa tamen etiam, quae nondum examinari potuerunt, scitu quantumvis necessaria, in hisce morbis restare, concedendum est, qualis sit ratio veneni syphilitici ad corpus, Hydrargyri ad venenum, multaque alia; id quod tum veterum, tum recentiorum de syphilide auctorum, in genere et in specie de bubonibus syphiliticis mendendi ratione disserentium ex opinionibus diversissimis et fere contrariis patet. Viri enim celeberrimi summo ardore in curandis bubonibus syphiliticis supurationem praeferendam esse censent, neque alio,

nisi hoc morbi exitu salutem aegro afferri existimant; Alii vero rationibus haud sane infirmis innixi, solutionem commendandam, eamque remediis multiplicibus promovendam esse, putant. Sunt praeterea, qui conamina naturae aut ad suppurationem, aut ad resolutionem adjuvantes, utramque methodum concedant; quippe qui experientia edocti sibi persuasum habent, omnia remedia discutientia et hunc ad finem laudata, nil saepius valere, neque prohibere, quo minus bubones suppurentur. Arbitrarium esse vident exitum, neque quidquam referre, utrum inunctiones mercuriales in superficie interna femoris, an emetica secundum Hunterum 1) adhibeantur; an febris mercurialis secundum Hahnemannum 2) excitetur; vel Müllero auctore. 3) emplastrum de ranis cum Mercurio, vel vesicatorium secundum Bellum 4) vel cateplasmata Goulardi 5) ad transsudationem veneni ex bubone promovendam, imponantur; Neque Dufouart 6) frigore; nec

---

1) Abhandlung über venerische Krankheiten. 1786. p. 458.

2) Unterricht für Wundärzte über venerische Krankheiten: Leipz. 1789. p. 152.

3) Gründliche Anleitung alle Arten der venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln, 2. Bd. Bremen 1796. p. 73.

4) Abh. über den böartigen Tripper und die venerische Krankheit. 1794. p. 302.

5) Chirurgische Werke. 2. Bd. p. 94.

6) J. Hunezowsky med. chir. Beobacht. p. 142.

Swediauer 1) Atropa Madragora et Daphne Mezereo; neque Peyrilhe 2) par l'oxycrat de la mère et quaecunque praeterea existant medicamina resolventia, bubonem semper discutere potuerunt. Quare non parvi existimo, remedium innotescere, quo omnibus fere conditionibus resolutio bubonum perfici possit, quo exitus faustissimus, cute iam livescente et sordida, omni fere vita destituta, laxa et speciem putredinis prae se ferente, brevi tempore adducatur et aeger hoc malo affectus a doloribus, miseria et inopia, in quibus diurna curatione versatur, praecaveatur.

§. 2.

Priusquam propius ad usum remedii illius egregii, quo exitum tam faustum adducere possumus, accedam, opiniones tum eorum, qui suppurationem bubonum laudant; tum qui illam refutant, breviter exponere, mihi necessarium visum est. Quod si fecero, diducare licebit, num autorum argumentis innixus, resolutionis prae suppuratione praestantiam probe exponere, mihi contigerit, nec ne.

- 
- 1) Practical observations on the more obtinate and inveterate venereal complaints. Lond. 1784. p. 161.
  - 2) Neues Mittel wider das venerische Uebel aus dem Thierreiche entlehnt. Breslau, Brieg und Leipzig 1787. p. 286.

§. 3.

Lucilius 1), Saliceto 2), Marcellus Cumanus 3), Clementinus 4), et Aloysius Lobera 5) veterrimi sunt auctores, qui de bubonibus scripserint, Paracelsus 6) vero primus, rationibus haud adlatis, suppurationem praefert, eique assentiunt Remaclus Fachs 7) Nicolaus Massa 8) et Benedictus Victorius 9), quorum hic con-

- 
- 1) Hensler, Geschichte der Lustsenche. p. 206.
  - 2) De apostemate calido et frigido sanioso in inguinibus.
  - 3) Gruneri Aphrodisiacus sive de Lue venerea. p. 52.
  - 4) Clementini lucubrationes, Basel 1505.
  - 5) Tractatus de morbo gallico. B. II.
  - 6) De morbo gallico, 1530. cap. 23. p. 441: „Bubo curari debet apertura et maturatione.“
  - 7) Vide: De morbo gallico scriptores medici et historici ab Ill. Gruner editi, p. 368. „Qui (bubo), si a bono et experto chirurgo canonice et debito modo eius supuratio procuretur, et diu apertum foramen adservetur, plerumque morbo iam incipiente solet praeservare.“
  - 8) De morbo gallico, 1532. Lib. I. Cap. VII. „Et sequuntur apostemate inguinum, quasi suppurantur, removent aegritudinem, maxime a principio.“
  - 9) De morbo gallico. Florentiad. 1551. „Omni diligentiae patiens procuret, ut inguinis inflammatio ad suppurationem ducatur: tunc enim morbi causa facta minor gallicus morbus in se et eius futuris accidentibus minorabitur. Quo fit ut materia minorata per exitum materiae superfluentis. et vitiosae ex inflammationis apertura eius, quod remanet re-

magium venereum suppuratione ex corpore educi, resolutione vero in corpus repelli, censet, id quod Bernardus Tomitenus 1) et Lucius Botallus 2) etiam affirmant.

Astruc 3) bubonibus in suppurationem perductis, purgantibus repetitis, quo minus lues universalis oriatur, impedire vult; alio vero loco resolutionem Mercurii ope magna cura adhibiti, patrandam concedit. Fabres 4), Plattner 5), Theden 6) et Bertrandi 7) resolutione quoque venenum in sanguinem transire et aem universalem provocare putantes, suppurationem summopere laudant.

Schaarschmidt 8) bubones solummodo symptomatice resolvi vult et quoad idiopathicos, priorum

---

siduum valentius natura coneoquere queat et eum maiore eius propensione ac facilitate id propellere valeat. Quo fit ut morbus huius modi eiusque symptomata leviora in futurum reddantur.“

- 1) Lousini Aphrodisiacus. T. II. p. 133.
- 2) Appendices ad Aphrod. p. 20. 21.
- 3) De morbis venereis T. I. p. 96.
- 4) Traité des maladies veneriennes Paris 1748 edit. III. p. 154.
- 5) Institutiones Chirurgiae rationalis. Lipsiae 1753. p. 53.
- 6) Unterricht für Unterwundaerzte p. 197.
- 7) Abhandlung von den venerischen Krankheiten 2. B. S. 58.
- 8) Theor. und prakt. Abhandlung von den venerischen Krankheiten. Berlin 1759. p. 250.

opinionem simul cum Dease 1), Boerhave 2) et Peyrilhe 3) affirmat.

Havard 4) telam cellulosa[m], glandulam circumdantem nec hanc suppurare, putans, resolutionis mentionem haud fecit.

Fordyces 5) et van Stoerck 6) resolutione frustra semper tentata, suppurationem promovendam suadent.

Vehementer vero errat Metzger 7), qui, ex resolutione glandularum scirrhum metuens et exitum bubonis suppurantis in manu habens, tumore aperto, resorptionem evitare et suppuratione adducta, Mercurialium usum inutilem esse, censet.

§. 4.

Sunt auctores praestantissimi, qui suppurationem bubonis syphilitici omni studio laudantes, cuique alii methodo inimicissimi sunt; Alii vero, quo natura ver-

- 
- 1) Erfahrungsmässige Heilart der Lustseuche. Cap. V. p. 75.
  - 2) Praelectiones academiae de Lue venerea. Lugduni Batavorum. 1762.
  - 3) l. c. p. 264.
  - 4) Praktische Bemerkungen über die Lustseuche. Lpz. 1790. p. 30.
  - 5) Anfangsgründe der theoret. und prakt. Arzneiwissenschaft. Breslau, 1797.
  - 6) Mediz. prakt. Unterricht für Feld und Landwund-aerzte. Wien 1776. 2. T. p. 117.
  - 7) Hufelands Journal der prakt. Arzneikunde etc. Iena. 1795. Metzgers Chirurgie. §. 627.

git, eo ducendam putant, quem ad finem modo bubo-  
nem discutiunt, modo in pus verti iubent, quibus me-  
licis adnumerandi sunt: Plenck 1), Cirillo 2), Müll-  
er 3), Kühn 4), Andre 5), Bilguer 6), Spiering 7),  
Vendt 8), Richter 9), multique recentiores, qui resolu-  
one remediis commendatis saepius frustra tentata,  
anc sententiam professi sunt.

§. 5.

Ex his facile intelligi potest, argumenta auctorum  
ppurationi faventium minoris esse momenti, quippe  
ni contendunt, hoc exitu omne virus venereum ex  
corpore duci; quod ubi in sanguinem haud transierit,  
em universalem amoveri, adeoque auctore Metzger  
mercurii usum supervacaneum esse, nam,

- 
- 1) *Doctrina de morbis venereis.* Kennae 1787. p. 84.
  - 2) *Osservazioni pratiche intorno alla lue venerea.* Napoli, 1783. p. 48.
  - 3) *l. c.* p. 73.
  - 4) *Curart der venerischen Krankheiten.* Breslau 1785. p. 213.
  - 5) *Abhandlung über venerische Krankheiten.* p. 30.
  - 6) *Anweisung zur ausübenden Wundarzeneikunst in Feld-Lazarethen.* Glogau und Leipzig 1763. §. 735.
  - 7) *Ergänzungen zu dem Handbuche der innern und äussern Heilkunde.* 1. Bd. Leipzig. 1804. p. 44.
  - 8) *Die Lustseuche in allen ihren Richtungen.* Breslau. 1816. p. 17.
  - 9) *Specielle Therapie.* 5ter B. p. 533.

§. 6.

1) Per suppurationem vasorum resorbentium functio non impeditur, sed potius denuo illis resorbendi occasio praebetur; venenum receptum in sanguinem transfertur, antequam bubo aut natura aut arte aperiat, qui in ulcus apertum mutatus ut nova area resorptioni puris quam maxime favet; ita ut hacce mendendi methodo denuo virus corpori inculcetur 1). Quis porro unquam definire potest, quanta veneni resorbendi copia ad luem universalem procreandam requiratur, repetita contagii accumulatio an minima eius pars ad morbum secundarium excitandum iam sufficiat et assimilatione quasi in corpore veneni facta, symptomata idemnum secundaria orientur. Saepe numerum enim observatum est, parva vesicula, ex qua ulcus syphiliticum oritur, brevi tempore remediis stypticis et exsiccantibus, sanata, luem saepissime erupisse, et si hoc in casu pars veneni in corpus recepta minima fuerit. Praeterea scire nequimus, an brevisimo post infectionem spatio, venenum circulatione humorum tam accelerata, bubone primum oriente, cum toto corpore iam communicatum sit et infectio universalis iam existat, quum saepissime videamus, symptomata suis secundariis nobis haud patefactis, laesiones accidentales, exempli gratia, vulnera aegro, ulcere et alio morbo primario venereo laboranti, inflicta, cha-

---

1) Simmens Bemerkungen über die Heilung des Trippers in der Sammlung auserlesener Abhandl. für prakt. Aerzte: B. XI. S. 3:8.



ractere syphilitico indui; quod Fritze 1), Hecker 2), Clossius 3), Swedianer 4), Nisbet 5) multique alii testantur. Quare Dufouart et Hunczowsky 6) resolutione frustra instituta, ante perfectam maturationem, tumorem quam primum fieri potest, cultro aperiri iubent.

§. 7.

2. Bubo ad corpus, abscessus critici aut metastatici 1) instar per emunctorium quasi via mechanica veneno purgandum, a natura non institutus, symptomata potius est infectionis cum toto corpore se communicantis, etsi nonnunquam solummodo causis accidentalibus faventibus oriatur atque deesse possit 2). Syphilis nunquam per crisin aut metastasin solvitur, nec vi naturae medicatrice sanatur. Nemini adhuc in mentem venit, ulcera ad hunc morbum specificum

- 
- 1) Handbuch übr die venerischen Krankheiten. Berlin 1790. p. 28.
  - 2) Deutliche Anweisung, die venerischen Krankheiten genau zu erkennen und richtig zu behandeln. Erfurt. 1791. p. 186.
  - 3) Ueber die Lustseuche. Tübingen. 1797. p. 299.
  - 4) l. c. p. 153.
  - 5) First lines of the theory and practice in venereal diseases. Edinburg. 1787. p. 216.
  - 6) l. c. p. 144.
  - 1) Fritze l. c. p. 130.
  - 2) Rusts Magazin der Heilkunde q. B. 2, H. 1821. P. 204.

amovendum, artificialia excitare, et experientia edocti videmus, initio morbi ad compescendum venenum non tantum Mercurii quantum postea, ubi bubones ad augmentum 1) quasi veneni iam diu suppuraverint, requiri. Quare ineptum etiam est, quo natura vergit, cum morbi exitum adjuvare, cum in hoc ut in multis aliis morbis molimina naturae minime salutifera quin adeo noxia esse, videamus.

### §. 8.

3. Bubonibus exortis syphilidis in corpus propagatio minime impeditur et fortuito tantum contagio in corpus penitus recepto, eoque symptomate in glandulis inguinalibus posito, nequiquam credendum est, inflammatione glandularum inguinalium orta, impedimentum circulationis lymphaticae infra tumorem sequi et venenum, antequam in ceteras partes progrediatur, per aliquod tempus hic morans, partes ibi iacentes corrumpere; facta deinde apertura omnes has quiescencias eiici, sed inflammationem venenum gignit et pus secretum ad ea producit, cuius secretionis omnes corporis humores participes sunt. Vasa lymphatica ex loco infesto progredientia plurima sunt et multa inveniuntur strata, quorum unum alterumve solummodo morbo affectum est, ita ut aliis viis venenum

---

1) Bell. Lehrbegriff der Wundarzeneikunst. 4ter T. Leipzig. 1807. p. 207. und 2ter T. 1794. P. 284.  
Girtanner. Abhandlung über die venerischen Krankheiten. Göttingen, 1788. p. 222.  
Fritze l. i. 2. p. 130.

excipi et in sanguinem transduci possit, id quod Petit 1) fusius his verbis illustravit:

„Il est vrai, que le poulain primitif présuppose un transport du virus de la verge aux glandes de l'aîne immédiatement par les vaisseaux lymphatiques de cette partie, mais on ne doit pas pour cela conclure que tout le virus se soit déposé dans ces glandes:

1) parceque les vaisseaux lymphatiques qui se déposent dans les glandes de l'aîne, ne sont pas les seuls, qui reportent la lymphe de sa verge. Il ya de ces vaisseaux, qui passent par le dessous et le long de l'urethre, lesquels dégorgent leur lymphatiques de l'hypogastre, ce qui est une route ouverte, la quelle le virus peut aller immédiatement dans la masse du sang.

2) Il y a encore d'autres vaisseaux lymphatiques, qui suivent le veine honteuse interne, lesquels passent avec elle sous l'arcade de l'os pubis et se dégorgent aussi dans les vaisseaux lymphatiques de l'hypogastre, les uns et les autres de ces vaisseaux peuvent porter le virus immédiatement dans la masse du sang.

3) Quand tout le virus prendroit la route des seuls vaisseaux lymphatiques, qui vont aux glandes de l'aîne, est-il sur que toute cette lymphe infectée, s'arrete dans les glandes? Il faudroit pour que cela fut possible, que l'obstruction se fit d'abord

---

1) Traité des maladies des os. par Jean Louis Petit. Paris. 1741. p. 457.

après le coit, et qu'en commençant celle fût totale, sans quoi il passeroit toujours une portion de la lymphe dans le sang, et par conséquent du virus.

- 4) Les vaisseaux lymphatiques ne sont pas les seuls vaisseaux capables de porter le virus dans le sang, les veines le peuvent aussi, et l'on sçait que cette route, n'étant interrompue par aucunes glandes, le virus doit immédiatement se mêler avec le sang.

§. 9.

4 Ad contagium syphiliticum exstinguendum et luem universalem praecavendam semper Mercurius adhibendus est, neque refert, utrum bubo suppuret necne, quod omnes praeter Metzger auctores suppurationem laudantes, fatentur et sane mirum nobis videri posset, talem auctorem, suppuratione promota, usum Mercurii repudiare. — Experientia docet, syphilidem nunquam natura sanari et Mercurium inter multa alia remedia hunc ad finem laudata unicum esse, quod contagium hoc specificum delet. Quin adeo per suppurationem datus Mercurius prodest. Nil igitur resolutione bubonis detrimenti afferet, si usu Mercurii methodo rationali instituta veneno occurrimus. Quae commemorantur exempla singularia quibus nihilominus luem universalem resolutionem secutam esse, constat, nil probant, propterea quod de Mercurii in morbis syphiliticis adhibiti agendi modo etiamnum maxime in obscuris versamur, aequae quanta Hydrargyri vis ad venenum exstinguendum requiratur, nec quando venenum plane exstinctum sit, a priori contendere possit.

Saepius enim salivatione, quam perfectae corporis repletionis indicium esse dicunt, venenum non satis deletur et saepius vidi, curationem magnam illam perunctionem mercurii et inediam bis terve ad morbum syphiliticum radicitus tollendum, necessariam fuisse; neque minus diuturnam suppurationem et usum Mercurii sufficientem symptomata secundaria secuta esse, quod van Swieten 1), Heister 2), Goulard 3), Murray 4), Bell 5), Kühn 6), Ploucquet 7), Cullorier 8) multique alii saepius se observasse dicunt.

§. 10.

5. Quod attinet ad indurationem glandulae tunectae insanabilem bubonis resolutionem subsequentem, haec quidem nonnunquam inedicaminibus hucusque

- 
- 1) Aphorismi de cognoscendis et curandis morbis. Vol. v. et: De morbis venerais. p. 282.
  - 2) Institutiones chirurgicae. Amstelodami 175. P. I, Lib. IV. Cap. XII. §. IV.
  - 3) l. c. p. 94.
  - 4) Anmerkungen über die Heilmethode der venerischen Krankheiten in der Sammlung auserlesener Abhandlungen für prakt. Aerzte. B. 5. T. I. p. 101.
  - 5) l. e. B. 7. p. 93.
  - 6) l. c.
  - 7) Dissertatio de bubonibus inguinalibus syphiliticis Tübingae. 1787.
  - 8) Dictionaire des sciences medicales. Paris. 1812. Tom. III. p. 337.

adhibitis apte instituitur; at ego hunc morbi exitum post cataplasmatum, de quibus infra exponam, usum, nunquam vidi, sique unquam occurrerit, numne ob pravam aegri dietam bubones induruerint, dubius haereo. Saepe partes per inflammationem induratae et degeneratae irritatione iterum iterumque suborta, in scirrhum et in ulcus carcinomatosum abierunt. Induratio exigua remanens sine omni detrimento diu perferri potest, nec etiam difficile perfertur ab hominibus lue nunquam correptis. Natura eodem illam modo solvet, quo Epidydimidem induratam et si unquam incommodum aut detrimentum afferret, remedia ad hanc anomaliam tollendam efficacissima nobis satis adsunt, ut exitum adducamus prosperrimum. Quantopere vero is differt ab illo, qui tumores carcinomatosos cacochymiae universalis symptomata sequitur. Tumoris igitur induratio resolutionem interdum subsequens a methodo tam salutifera nos haud deterrere debet.

§. 11.

6. Quum formam ulcus ex suppurante bubone ortum subeat et quantopere decursu ab abscessus critici aut furunculi natura aberret consideramus, necesse est. Margines ulceris circumvolvuntur, indole callosa, livida et ramosa induuntur, omni vita fere privati facile sanguinem mittunt; fundus fit tuberculosus, sordidus, fere carcinomatosus; excrescentiae oriuntur condylomatosae fungosaeque, ulcus in dies amplius extensum et characterem syphiliticum praese ferens, ichorem acrem corrodentem, partes vicinas erodentem secernit. Saepius quoque infiltraciones puris, quid

quod ipsa gangraena superveniunt, quibus nisi protinus occurrere potueris, incisiones et iniectiones acres etc. requirunt, in quibus adhibendis maximis aeger doloribus cruciatur.

§. 12.

7. Duplici tandem modo aeger debilitatur, tam Mercurii usu quam suppuratione diuturna neque tristis animi affectus aegri, ne procul a perfecta sanatione absit, metuentis, omittendum est. Lectum enim per hebdomades adeoque menses complures relinquere nequit et muneribus suis fungi haud valens in angustias irruit et perniciem. Ampliora medici frequentent nosocomia, et inter miseros illos hoc morbe infectos per aliquod tempus moventur; — certe resolutionis methodo, qua aeger duabus quatuorve hebdomadibus sanatur, bellum haud intulerint, et curationem hominis huc universali infecti, curationi sequelarum bubonis in casu conversi praeferendum esse consesserint.

---

## P a r s a l t e r a.

---

### De usu cataplasmatum acrium.

§. 13.

Quam nunc proferam medendi rationem, ea Cataplasmatum ope acrium perficitur; quae omni sub

conditione et quovis in morbi stadio brevi tempore bubonis resolutionem adducentia, haud immerito omnium remediorem primas tenere, confitendum est. Quorum quod ad originem attinet. Kerndl 1) in monographia exigua inter alias ad resolutionem perficiendam formulas, primus cataplasma acre breviter praescripsit, de eius usu nil amplius adiiciens. In nosocomio Caritatis Berolinensi primum Ill. Hornio Directore adhibita sunt, et pluribus de egregio eorum effectu convictus experimentis iisdem hodiernum Cl. Neumann uti solet, a cuius certe humanitate cuique expectare licet, de huius medicaminis utilitate sibi persuadendi occasionem non defuturum esse.

§. 14.

Quomodo cataplasmata parentur.

Haec cataplasmata acria Kerndlii ex cepis assatis, pulvere seminis Sinapeos, sapone nigro et aqua; neququam vero ut Samel 2) dixit, ex placenta seminum Lini, ideoque ex remediis praecipue, quibus principium acre inest, constituuntur. Simile quoddam cataplasma discutiens ex Atropa Mandragora et Daphne

- 
- 1) Chirurgische praktische Abhandlung über die venerische Drüsenbeule, nebst einer kurzen Uebersicht der so veerschiedenen bisher vertuchten Heilarten wider die Lustsenche. Wien. 1798.
  - 2) Dissertatio inauguralis medica sistens in curatione syph. bubonum resolutionem semper suppurationi esse praefendam. Berolini, 1820. p. 60.



Mezereo Swediaur; 2) ex cepis vero assatis, sinapi et melle ad suppurationem promovendam auctor veterrimus, cui nomen est Blancard, 3) commendant; neque tacendum est, Astruc 4) quoque cepearum et saponis nigri adhibendorum mentionem fecisse. Formula Kerndlii praescripta haec est:

Rpt. Ceparum sub vinere assatarum, farinae seminum sinapeos aa Unc. duas. saponis nigri Semiunciam. coque cum

Aquae fontanae s. q. in formam cataplas-  
matis.

Cataplasmatibus vero hoc modo paratis medicus finem vix adsequi potest, propterea quod hac methodo singulae partes constitutivae mixtae coquendae, ipsa coctione principii acris ex parte iisdem inhaerentis privantur, quo fit, ut vim necessariam exserere nequeant.

### §. 15.

Experimentis de parandi optima et maxime idonea methodo saepius repetitis haec est iusta probaque singularum partium proportio; Quantitati cuilibet saponis nigri totundem aquae commixtae et in catino super ignem fervefactae immittatur eadem quantitas

---

2) l. c. p. 160.

3) Die belägert und entsetzte Venus, dass ist, Chirurgische Abhandlung der sogenannten Frantzossen. etc. Leipz. 1693. p. 137.

4) l. c. Tom. I. pag. 333. i

ceparum sub cinere assatarum, bene contusarum et pars decima sexta pulveris sinapeos, massam saepius agitando denuo per momentum ebulliat, eaque ab igne remota, ad usum apta est. Quando massa ab igne removenda sit, sola experientia docebit, diutius enim supra illum posita, partibus acribus, quibus praedita est, privatur, neque cataplasma iustam efficaciam obtinetur. Haec est, quam optimam observavi, formula:

Rpt. Saponis nigri Unc. tres

Aquae ferridae Unc. duas.

Ebulliant leni calore per momentum, tum admisce:

Ceparum sub cinere assatarum Unc. tres

Farinae seminum sinapeos Semiunciam

Ebulliat massa denuo leni calore per breve temporis spatium saepius agitando et ab igne amoveatur.

Loco Unciae dimidiae sinapis Uncia ad duas sumi possunt, quod torpida saepius natura corporis, cutis sensibilitas imminuta aut cicatrices in hoc loco acriorem cataplasmatibus indolem requirunt. Haec massa consistentiae sit cataplasmatibus, quod si probe paratum est, pedem unum ab oculo distans lacrymas ex eo elicebit. Cataplasmatibus vis augeri potest, ubi aquae acetum vini et massae ipsi radicis armoraciae rasae aliquid adiicitur.

## §. 16.

## Effectus cataplasmatum in cutem.

Cataplasmata frigida ter quater aut quinquies per diem, diametro circiter quatuor pollicum imposita, ita ut bubo in quovis latere ab iis tegatur, sufficiunt et massa iam semel adhibita denuo in usum vocari potest, si parva quantitate aceti vini adiecta, omnia denuo ebulliant. Viginti quatuor horis praeterlapsis cutis rubescit et post duos, tresve dies, epidermide per vesiculas nequaquam ut in vesicatoriis fieri solet, a cute disiuncta, excoriatur. Vesiculae sero impletae iis solummodo elevantur, quibus locis cepae non sat exacte quassatae superimpositae sunt. Cutis, nunc omni epidermide destituta, papillas offert et perpetuo huius medicaminis usu superficies erosa sensim sensimque in ulcus transmutatur, quod minori copia materiei puriformis secretae tantummodo differens, ulceri a vesicatorio perpetuo provocato simillimum est. Quae ubi per septem ad quatuordecim dies aut per tres quatuorve hebdomades geruntur, quae quidem temporis differentia a gradu et natura mali, a receptivitate corporis et ab aliis rebus fortuitis dependet, chorion glandulam intumefactam tegens, in dies densius et crassius redditur, quod ubi in plicam supra bubonem elevari potest, glandula subiacens discussa est.

## §. 17.

Notandum adhuc est, usu horum cataplasmatum dolores initio vehementes, urentes exitari, de quibus

aegri sensibiles, praecipue sexus sequioris adeo queruntur ut per nonnullas horas eorum loco linteum aqua tepida imbutum per vices imponere, cogamur; at mox cataplasmata denuo adhibeantur aut speciebus ad cataplasmata 1) admixtis varia ratione mitigentur, necesse est, ut vis eorum nimis irritans minuat et suppuratio in extima cute promoveatur. Saepius tamen in Nosocomio Caritatis observare mihi contigit, homines, alioquin doloribus haud assuetos eo lubentius dolores ex impositis cataplasmatibus acerbis tollerasse, quid quod, ut sibi imponerentur etiam atque etiam poposcisse eo impensius, quo frequentius alios, alio modo curatos per complures menses, utque suppurationem secuta essent, amoverentur, vehementissimis doloribus cruciatis fuisse comperti fuerint.

§. 18.

Quando cataplasmata acria convenient.

Ea cataplasmata quovis in stadio morbi in usum trahi posse, supra quidem a me prolatum; at uberio-rem huius rei sermonem adicere opus est.

1. Bubo recens ortus, nucis iuglandis et ovi galinacei minoris magnitudinem non exsuperans, neque iam pus continens nec adeo inflammatus cataplasmatum horum usu haud intercepto quinque aut octo diebus praeterlapsis ex toto discutitur.

---

1) Horns öffentliche Rechenschaft über etc. Berlin  
1818. §. 178. 179.

2. Tumor glandularum inguinalium maioris circuitus iam fluctans, sex ad duodecim diebus penitus resolvitur. Attamen notandum est, inflammationi, si adfuerit, glandularum et integumentorum vehementi et doloribus sanguisugis et fomentationibus aut ex aqua frigida aut e glacie occurrendum esse, et tunc demum cataplasmatibus acerbis uti, licere.

3. Haec adeo medela in bubonibus manifestè fluctuantibus et a pure ad eruptionis punctum extensis in usum vocari potest. Saepius enim, quod continetur, ex toto resorbetur, rarius vero cute, quae bubonem tegit, tenuiori, tumor in summo apice aperitur; quod si fit, puris per parvam aperturam effluxus quotidie leni compressione, cataplasmatibus haud reiectis, adiuvari potest. Specilli ope saepe in hoc casu subter integumenta cavum quidem sat amplum invenitur; attamen quatuordecim diebus aut mense elapsis, solis his cataplasmatibus sanatio peragitur, neque, quod alioquin iubet chirurgia, integumenta incidere oportet. Quum enim puris secretio in dies imminuatur, atque glandulae tumefactae sensim solvantur; ex fundo ulceris proba granulatio provocatur, neque perfecta ulceris repletio ultra tempus supra dictum protrahi solet. Cutis super bubonem omni fere vita privata, denuo restituta et ad vitam excitata a concretionibus papillarum ex fundo germinantium ope, non abhorret.

4. In bubones, aut emplastris, unguentis, cataplasmatibus emollientibus in suppurationem redactos, aut cultro apertos, margine obvoluto et calloso haec cataplasmata mirum plerumque effectum exserunt, quoniam glandulae adiacentes etiam tumefactae, nudaque

nucis avellanae et iuglandis magnitudine, mox eo resolvuntur, margines in statum naturalem reducuntur et aliis remediis convenienter adhibitis ulceris purificati cicatrix adiuvatur.

5. Tandem, experientia quidem destitutus, at analogia de horum cataplasmatum in fugandis tumoribus scrofulosis, utilitate ductus, in bubonibus quoque induratis non sine magna fausti eventus specie adhibenda fore, mihi persuasum habeo.

§. 19.

A p o t h e r a p i a.

Bubone plane resoluto a cataplasmatum usu abstinere et fomentationes ex aqua tepida uti licet, quibus per diem vel biduum adhibitis puris in superficie secretio coercetur. Ubi bubo cataplasmatibus nondum impositis acerbis ad maturitatem perductus aut una aut pluribus aperturis ruptus fuerit, resorpta parte puris et fundo papillis expleto, ductus fistulosus longitudinis pollicis dimidii et nonnullas per diem lymphae guttas fundens, specillo tenui tantummodo persequendus, nonnunquam remanet; qui vero iniectionibus e soluto lapide infernali, plagulis, glomerulis comprimentibus et spica inguinali brevi tempore obturatur. Glandulis in fundo induratis cataplasmatum acrium usu solutis et marginibus callosis, lividis circumvolutis ad indolem naturalem redactis tam compressione quam contractione emplastri unientis ope, labia bubonis, ante huius remedii usum cultro aperta, conglutinantur; at nunquam Palazzini et Barovero, Italorum medelarecentio-

ibus temporibus laudata, prius aliquid prodesse potest.

§. 20.

Medela Palazzini 1) haec est: Resolutione frustrata, iamque maturo bubone integumenta huius aut ex toto aut ex parte omni vita nondum privata, incisionibus ut pus evacuetur, pluribus parvis aperit et benecillo molli, magnitudine tumoris, humore cutis molli congruo, imbuto, ut pus ad aperturam factam adducatur, plagulis formae scalaris et fascia supra tumorem se cruciata bubonem comprimere conatus est. Hoc enim modo post decem ad duodecim dies, ubi pus excretio desierit, inflammationem adhaesivam integumentorum prolici eorumque cum partibus subiacentibus concretionem promoveri dicit. Barovero 1) haud multo post notavit methodum a Palazzino laudatam in ulceribus fistulosis regionis inguinalis sine omni ventu adhiberi; quod compressio tam aequalis, ut ulceris parietes intime coniungantur, spica perfici non posset; et hunc ad finem compressorium elasticum,macherii instar, imponi iubet.

- 
- 1) Della maniera di curare i buboni venerei suppurati di Giuseppe Pallazzini, medico-chirurgo; in *annali universali di medicina compilati dal Signor Dottore Afinibale Omodei*. Anno. 1818. Febbraio.
  - 1) Nuovo mezzo di curare i seni e le fistole deglenjiuni, frequenti conseguenze di bubboni suppurati; proposto; del Dott. G. Barovero. etc. in *den annali di Medicina*. Luglio. 1818, Vol. VII.

§. 21.

Commemorata haec medendi ratio, si institui posset, omnis sane exitus infaustus, ex quo detrimentum affertur, evitari posset; sed plura exoptato eventui obstant:

1. In quodam stadio bubo, qui pus continet, incidendus est, ut tegumenta adhuc sint integra? Si incisio, glandula suppuratione soluta, instituitur, cutis iam adeo vitiata est, ut iam compressionem adhiberi minime liceat, nisi tegumentorum vitam omnino extinguere et gangraenam adducere voluerimus. Si vero prius bubonem aperimus, semper ulcus inde natum ambitu aliquantulum duro circumdatum est, cuius in fundo glandulae adhuc tumefactae, quae suppuratione demum solvuntur, inveniuntur.

2. Nonnunquam tela solummodo cellulosa, dum glandula ipsa inflatur, in suppurationem transiit. Utroque igitur in casu si compressionem inmodicam instituere conamur, ea infiltrationes potius et indurationem tumoris, quin etiam circulatione plane impedita, gangraenam adducemus, nunquam vero labiorum vulneris perficiemus coalitum.

3. In inguinibus compressio sine noxa difficillime instituitur; quod tam fasciae et quae huc pertinent, non tam apte, ut fini respondeant, applicari possunt, et saepius redintegrandae sunt, vasa praeterea cruralia comprimuntur; quare haec bubonibus medendi ratio experientia vix confirmari, videtur.



§. 22.

Quomodo cataplasmata in corpus agant.

Quodsi quaeras, quaenam sit cataplasmatum in resolvendo bubone ratio, haec certe eadem fere est, quae vesicantium. Utraque enim stimulo ut ita dicam contrario, quo localem quandam inflammationem derivant, internamque suppurationem coercent et aufeunt, praecipue egere videntur. At nullo modo vesicatoria perpetua eiusdem esse, cuius haecce cataplasmata, praestantia credendum est; propterea quod nunquam bubonibus inflammatis et apertis illa imponi queunt, etsi parvos neque inflammatos bubones hoc resolvendi posse, negari nequeat. Nunquam cataplasmata partium, quibus imponuntur vitam nimia irritatione extinguunt, nunquam in vesicantium modum systema genitale et uropoeticum infestant, Dysuriam, Stranguariam et Ischuriam nunquam provocant; etsi tardiores quam illa in partes subiacentes vim exserunt, horum tamen effectus altius penetrant; neque laudandus mihi videtur Samel 1), qui vesicantibus in summa cute suppurationem per longioris temporis spatium vult sustineri. Kerndlii cataplasmatibus acerbis inflammatio imminuitur, suppuratio superventura coeretur, vis vitalis partium affectarum sustentatur, immo augetur, quin etiam humorum iamiam secretorum reorptio adiuvatur et, quod desiderant aegri, tuto cito et sat iucunde sanatur.

---

1) l. c. p. 66.

---

## CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

---

Ego Corolus Christianus Adolphus Leopoldus Richter tertio ante Calendas Iulii MDCCXCVIII Sagani, oppido Silesiae inferioris natus, primis litterarum elementis imbutus per quatuor annos Gymnasium in patria florens frequentavi, ubi linguas tam veteres quam recentiores ceterasque litteras, quae vulgo tractantur, edoctus, numero alumnorum Seminarii Regii Medico-Chirurgici Friderico-Guilielmiani anno MDCCCXIV adscriptus sum, ac per biennium et sex menses praeter lectiones publicas ad has disciplinas privatim traditas, incubui:

Beati Kiesewetter de Mathesi, Logice, Hodegetice, Aesthetice, Ethice et Psychologia; Cel. Lichtenstein de Zoologia; Cel. Heyne de Botamce; Ill. Rudolphi de Anatomia universa, Encyclopaedia medica et Physiolo-

ia; Knapé de Osteologia, Syndesmologia, Splanchnologia  
Medicina forensi et arte conscribendi formulas medicas,  
arte cadavera rite dissecandi in theatro anatomico ab  
Ill. Rudolphi et Knapé institutus sum. Ill. de Koenen de  
Physiologia; Cel Osann de Physiologia et Materia  
medica; Cel Turte de Physice, Chemia et Pharmacia  
dissertantes audivi. Interfui deinde praelectionibus,  
quas habuerunt de Pathologia et Therapia tam gene-  
rali quam speciali et Semiotice Cel. F. Hufeland, de  
Pathologia speciali Ill. Horn deque Therapia speciali  
Ill. C. G. Hufeland, quorum etiam exercitationes cli-  
nicas medicas frequentavi Chirurgia generali et doctri-  
na de morbis ossium Cel. Kluge; Chirurgia speciali et  
Chirurgia Ill. Graefe; cursu operationum chirurgicarum  
et arte fascias rite imponendi Cl. Mursinna et Cel.  
Kust, cuius exercitationibus ophthalmiatrico-chirurgi-  
cis clinicis haud defui, me erudierunt.

In arte obstetricia Ill. de Siebold et Cel Kluge  
mihi praeceptores fuerunt, neque abfui ab exercitatio-  
nibus eorum clinicis. Studio peracto, per annum in  
Hospitio Caritatis Berolinensi chirurgi munere func-  
tus, chirurgis turmae cuiusdam equestris Rhenanae  
descriptus sum.

Inde redux nunc tentamine examineque rigoroso  
absolutis, spero fore ut Gratiiosa Facultas Medica sum-  
mos in utraque Medicina honores in me benevole  
conferat.

---



## THESES DEFENDENDAE.

---

I.

In fistulis ani curandis ligatura incisiva<sup>ae</sup> defendenda est.

II.

Tussin convulsivam infantum<sup>um</sup> nervosum esse, nego.

III.

Nulla intercedit differentia<sup>entia</sup> inter animalia et plantas.

---





